VOTA ET MOTIVA A PROCESSV APPELLATIONIS VICARII SANCTI PAVLI,

Super apprehensione.

IN DEI NOMINE AMEN, vniuersis pateat, quod die quinto mensis Aprilis, anno à Natiuitate Domini computato millesimo sexcentesimo vigesimo nono, Cæsaraugustæ in regio Consilio ciuili præsentis Regni Aragonum interuenerunt Illustrissimus Dominus Regens Officium Generalis Gubernationis, necnon magnifici domini Antonius Augustinus de Mendoza ordinarius Assessor, Hieronymus Marta, Ioannes Franciscus Salazar, Dominicus Descartin, & Franciscus Mirauete Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus Processus appellationis, Vicarij, Beneficiatorũ, & Capituli Ecclesiæ Parrochialis Sancti Pauli, præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ super apprehensione, in quo quatuor ex dictis dominis desuper nominatis concordes fuerunt voti & opinionis: QVOD tenetur & debet pronuntiare, & declarare per Iudicem à quo malę fuisse, & esse pronuntiatum, & pro parte Vicarij, Beneficiatorum, & Capituli Ecclesiæ Parrochialis Sancti Pauli præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ principalium Ferdinandi Sanchez Procuratoris bene, ad hanc regiam Audientiam appellatum, & reformando sententiam Iudicis aquo, in omnibus bonis apprehensis mandare fieri contenta in propositione dictorum Vicarij, Benefi-

El quinto voto tambien conforma en el comisso.

ciatorum,& Capituli Ecclesiæ Sancti Pauli, pro quantitate decem mille solidorum Iacensium ratione proprietatis tributi gratiosi per eos exhibiti, & octo centorum triginta, & nouem solidorum, & octo denariorum Iacensium ratione pensionis, & proratæ decursæ dicti tributi correspondentis ad quantitatem dictæ proprietatis,cum expensis Iuribus suis durantibus fructibus non computatis in sortem principalem, & eis finitis contenta in propositione Michaelis, Francisci Poyanos principalis,Antonij Fernandez Procuratoris præstita prius respectiuè cautione forali alijs propositionibus repulsis reseruatis iuribus reseruari supplicantibus neutram partium, in expensis demptis prædictis taxandis condemnando cætera supplicata locum non habere: EX EO & aliàs modo supradicto sententia Iudicis à quo reformatur, quia grauati fuerunt Vicarius, Beneficiati, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Pauli præsentis Ciuitatis, cum eorum propositio non fuerit recepta, in bonis sub numeris secundo, tertio, & quarto, in fine appellitus confrontatis fructibus non computatis in sortem principalem, quod satis nouum atq; contra receptissimam, & antiquam totius Regni, & superiorum tribunalium praxim apparet: fateri enim oportet iuxta verissimas iuris sanctiones, & sententiam tàm sacræ paginæ, quam Iuris Pontificij interpretum consuetudine fieri licitum contractum, qui apud viros doctos, & timoratæ conscientiæ licitus iudicatur: & fateri etiam compellimur huiusmodi contractus tributorum seu censualium cum clausula cõmissi fuisse celebratos in præsenti Regno,per doctissimos, & Christianissimos viros, omnes enim Ecclesiæ tàm regulares quàm seculares, hos census in bonis particularium imposuerunt,& quando ob moram debitorum facultate committendi vsi fuerunt,obtinuerunt cum clausula de non computandis fructibus in sortem principalem, quod non semel sed sepissime ab ipsomet Iudice à quo fuit pronuntiatum, & admissum: hæcq; communis obseruantia, & superiorum à prouatio, sufficientissima est,vt hos contractus vsurarios non Iudicemus in detrimentum,& dedecus, contrahentium,& ipsorum Iudicum.Et ne ofendatur authoritas maiorum nostrorum,qui hos contractus admisserunt,censemus in eam sententiam ductos fuisse, ob vitandos circuitus inutiles, & impensás,atq; damna inter contrahentes,reperitur enim

quod

quod antiquitus ad tollenda dubia per quæ Iudices à quibus moti fuerunt, quando huiusmodi contractus erant celebrandi, qui erat impositurus censum, vendebat bona super quibus erat imponendus eidem qui censum erat empturus, & ipse factus dominus per venditionem statim eadem bona iterum vendebat primo venditori, reseruato sibi censu seu tributo, quod super dictis bonis imponere conuenerant, & in alio contractu facultatem redimendi concedebat, ita quod in qualibet impositione census tria instrumenta conficiebantur, isteq; erat in forma exteriori census reseruatiuus, in quo clausula commissi, & receptio fructuum absq; dubio admittenda erat; pluresque reperiuntur contractus antiquis temporibus sub hac forma celebrati, qui valde onerosi debitoribus erant quia tenebantur soluere salaria trium instrumentorum, & ex venditionibus suorum bonorum quas concedebant in fauorem creditorum plura incommoda eis euenire poterant, adque euitanda forsam nostri maiores summa ęquitate, atq; prudentia moti fuerunt ad permitendum quod simpliciter fierent contractus consignatiui dictorum censuum, cum clausula commissi concedentes eius virtute receptionem fructuum absq; eo quod computarentur in sortem principalem, tollentes hoc pacto dictos inutiles circuitus trium contractuum, & venditiones afectatas, quæ ad celebrandum censum reseruatiuum fiebant, liberandoq; debitores ab expensis, & incommodis quæ ex causa prędicta sustinebant: & cum reperiamus causam adeo vrgentem ab ea credimus ductos fuisse illos antiquos per doctos atq; ęquissimos Iudices, quorum memoriam non inmerito collere debemus, deindeq; hos contractus communiter, asiduè, & continuè, celebratos experimur, & præcipue à Capitulis omniū Ecclesiarum in quibus quam plures doctissimi, & suma virtute muniti interueniunt, & quod magis est, vt diximus ab vtroq; senatu sepissimè in contradictorio iuditio fuerunt aprobati: ex quo durissimum arbitramur, & non iuri nec rationi consonum, hos contractus vsurarios iudicare, & creditores compellere ad computandos fructus in sortem principalem, quod si admitteremus clausula commissi quę fuit in Regno adeo priuilegiata, & impulsiua, vt debitores absq; mora soluerent, esset nimis præiudicialis & damnosa creditoribus, quia vtendo dicta clausula cessat pensio, à die enim commissi

 missi

missi non currit, etsi proprietatem sunt recepturi ex fructibus, minutatim, & forsam in pluribus annis eam recipient, cum quo census extinguetur in maximum, & inopinatum detrimentum Ecclesiarum, & animarum in quarum sufragium regulariter similes census sunt asignati, & non sine causa conqueri poterunt creditores de hac nouissima censura dicentes, in hoc damnum ductos fuisse authoritate ipsorum iudicum, quia sua patrimonia in his censibus, & super bonis particularium imposuerunt, videntes ab vtroq; senatu fuisse admissos, & approbatos, & cum censualia Vniuersitatum maximam diminutionem passi fuerint, & quotidie deteriores fiant, si in his tributis seu censualibus particularium hanc nouitatem admitteremus maxima iactura, immoderatumq; detrimentum Ecclesijs, & creditoribus sequeretur. Et non est omittēdum hanc facultatem recipiendi fructus ex bonis hipotecatis non absolute pendere ex voluntate creditorum, potius enim mora debitorum in non soluendo pensionem die conuento causam commissandi tribuit, in cursaq; & declarata caducitate, ex altera mora non soluendi proprietatem, & pensiones decursas subsequitur facultas recipiendi fructus ex dictis bonis, quæ per commissum in pœnam non adimplentis contractum facta fuerunt creditoris, & si verum esset (pro vt Iudex à quo fatetur) quod est licitum in pœnam non adimplentis eius bona simpliciter, & absolute alteri contrahenti adiudicare (quod absque censura admiti non potest) multo fortius erat admittenda adiudicatio temporalis, & limitata duraturaq; interim, quod non soluitur creditori integrum debitum, quia remanet tunc in facultate contrahentis dictam pœnam redimire adimplendo cum integra solutione proprietatis & pensionum, & cui conceditur quod est plus, non potest negari quod est minus. His tamen omisis supra dicta consuetudo, communis obseruantia, & superiorum aprouatio omnem ocasionem dubitandi nobis tollunt, & ad ita iudicandum absque aliquo scrupulo impellunt. Non autem recipitur propositio dictorum Vicarij, & Capituli Sancti Pauli pro maiori quantitate, quia Maria los Barrios in suo testamento amplissimam concessit facultatem Doctori Ioanni Oros declarandi onera, cum quibus suam hæreditatem dictum Cipitulum erat obtenturum, & hoc in vna vel pluribus vicibus, pro vt dicto Oros videretur ex

qua

qua latissima facultate secunda declaratio per dictum Ioannem Oros facta seruanda, & ad implenda venit maxime in Regno, vbi libera facultas disponendi concedi potest verba enim testamenti non tantum declarationem , sed liberam facultatem disponendi comprehendunt. Finitis autem dictis iuribus recipitur propositio Michaelis Francisci Poyanos, quia constat de eius dominio & possessione bonorum super quibus dictam obtulit propositionē. Reijciturque propositio executorum vltimi testamenti Petronillæ Monreal, quia cum maior pars eorum sint Religiosi absque licencia superiorum in iudicio agere non possunt, nec dictum ministerium exercere maximè cum fuerit exceptum contra eos, quod non admittebantur in partes legitimas. Aliæ propositiones reijciuntur, & repellūtur quia vel non prouarunt, vel non publicarunt, qui eas obtulerūt & aliàs Att. Cont. ET ALTER ex dictis dominis desuper nominatis fuit voti & opinionis, quod tenetur & debet pronūtiare, & declarare per Iudicē à quo malę fuisse, & esse pronuntiatū, & pro parte Vicarij, Beneficiatorū, & Capituli Ecclesiæ Parrochialis S. Pauli pręsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ principalium Ferdinandi Sanchez Procuratoris bene, ad hanc regiam Audientiam appellatum, & reformando sententiam Iudicis à quo, in omnibus bonis apprehensis mandare fieri contenta in propositione dictorum Vicarij, Beneficiatorum, & Capituli Ecclesiæ Sancti Pauli, pro quantitate decem mille solidorum Iaccensium ratione proprietatis tributi gratiosi per eos exhibiti, & octo centorum triginta & nouem solidorum, & octo denariorum Iaccensiū, ratione pensionis & pro ratę decursę dicti tributi correspondentis ad quantitatem dictæ proprietatis cum expensis iuribus suis durantibus fructibus non computatis in sortem principalem, & eis finitis in bonis, in fine appellitus sub numero primo confrontatis contenta in propositione fratris Dominici Ximeno, fratris Ioannis Perez & Philipi, Iacobi Ribera principalium, Petri Hieronymi de Torres Procuratoris nominibus quibus in processu, & in bonis in fine appellitus, sub numeris secundo & tertio confrontatis contenta in propositione Michaelis Francisci Poyanos principalis, Ferdinandi Sanchez Proc. præstita prius respectiuè cautione forali alijs propositionibus repulsis reseruatis iuribus reseruari supplicantibus neutram partium,

in

in expensis demptis prædictis taxandis condemnando cætera supplicata locum non habere: RECIPIVNTVR propositiones Vicarij, Beneficiatorum, & Capituli Ecclesiæ Sancti Pauli præsentis Ciuitatis, & Michaelis Francisci Poyanos, ex Motiuis de super præstitis finitis autem iuribus Vicarij, Beneficiatorum, & Capituli Ecclesiæ Sancti Pauli recipitur propositio dictorum fratris Dominici Ximeno, fratris Ioannis Perez, & Philipi Iacobi Ribera super bonis in fine appellitus sub numero primo confrontatis, quia constat prædicta bona pertinere executioni Petronillæ Monreal defunctæ, & supradictos esse executores vltimi testamenti illius dictiq; Religiosi prædictum ministerium exercere possunt, dum eius superior non contradicit, quia presumitur licentiam, & permissum obtinuisse à dicto superiori, quod ad actus validitatem ita declarandum censemus, & aliàs att. cont. &c.

SIG † NVM mei Ioannis Perez de Oliuan scribæ mandati suæ Maiestatis in Ciuitate Cæsaraugustæ, domiciliati authoritateq; regia per suas terras, & dominationes publici Notarij. Qui huiusmodi vota & motiua à libro Regij Consilij causarum ciuilium præsentis Regni Aragonum, vbi continuata existunt bene, & fideliter comprobata extraxi, & signaui, constat de rasis & supra scriptis, vbi legitur, dictis, sunt recepturi ex.